

celebris *Remorum* Archiepiscopi, qui annum 882. supremum habuit, *Epistolam* sive Tractatum XII. Capitibus constantem ad *Carolus Calvum* Regem, in edit. *Opp.* a *Jac. Sirmondo Parisiis* 1645. f. procurata T. II. p. 29. inscriptum: *de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis*. In *Codice* vero ita inscribitur et orditur: *Domno Karolo Regi Glorioso. hincmarus nomine. non merito remorum episcopus. ac plebis dei famulus. mitto vobis sicut iussistis epistolam beati gregorii. ad regardum regem wisigothorum &c.* Haec porro *Epistola*, quae inter *Gregorianas* L. VII. n. 126. est, Nostroque opportunitatem praebuit *Carolo* omnia christiani Homini officia utiliter explicandi, in edit. *cit.* Caput II. constituit; *Codex* vero absque ulla divisione decurrit usque ad Perorationem: *Hec Rex Clarissime Atque karissime &c.* quae sola novum versum inchoat. Illud singulare, post ultima C. I. verba, atque adeo ante *Gregorii* *Epistolam* fol. 8. p. 2. intrusas esse a *Librario* *Lineas* 11. de variis, quae numero *ternario* definiuntur. Ita: *Tria sunt que ducunt hominem ad regna caelestia &c.* Ceterum lectio *Codicis* proba est. *Fol.* 1. p. 2. *eoque bonum desiderium pro ea quae bonum desiderium, Fol.* 2. *sed per misericordiae opera exaltat pro sed misericordiae opera exaltant, reperio.* Ultima cum edit. consonant. De Autoris Actis et Scriptis post alios tractat *Historia lit. Fran. Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

*ciae* T. V. a pag. 544. et nos aliud *Epistolae* praesentis exemplum dedimus *Cod.* seq.

II. fol. 100. accedunt *Preces* quaedam ad *Jesum Christum, Deum, et B. V. Mariam*; duae item *Sequentiae*, quarum prior incipit: *Pater da per uerbum nobis septiformem spiritum &c.* notatis a latere *Scripturae* locis, ad quae alluditur; alterius argumentum est *Mors Christi in Cruce*, et initium: *Magnificent confessio atque pulchritudo Magni regis novam in cruce uictoriam &c.* Utraque videtur insignis vetustatis.

III. fol. ult. ab alia manu adscripti sunt *Canones* sive *Capitula ex Decretis Kalisti II. pape* numero quatuor, nempe de *Simonia, Investituris, Possessionibus ecclesiasticis et de Dignitatibus, beneficiisque*, qui ad *Concilium Remense* a. 1119. celebratum pertinent, et leguntur T. XII. *Collect. Labb. Concill.* edit. *Venet. col.* 1291.

## DCX.

*Codex* membraneus lat. Sec. 383 XII. Folior. 105. 4. eleganter scriptus et rubricis distinctus continet: I. *Epistolam Hincmari Remorum Episcopi ad karolum Regem*. Est hic *Carolus* cognomine *Calvus*, quo favente *Scriptor* noster *Seculo IX.* celeberrimus e *Coenobio S. Dionysii* ad insulas *Rhemenses* euectus est a. 845. easque gessit usque ad an. mortis 882. In editione *Opp.* ejus, quam

quam doctissimo Jac. Sirmondo debemus *Parif.* 1645. T. II. p. 29. Epistola praefens inscribitur *de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis*, quem titulum e *Floardo*, qui in *Hist. Eccl. Rbem.* Scriptorum *Hincmari* catalogum textit, desumptum probe implet. Initium ejus est: *Domino Karolo Regi glorioso. hincmarus nomine non merito remorum episcopus. ac plebis dei famulus. Mitto uobis sicut iussistis epistolam beati gregorii ad Regaredum regem uuisigothorum &c.* Tribuitur in XII. proluxa Capita, quorum II. ipsa *Gregorii Epistola* constituit. Itaque Tractatum Paraeneticum malim adpellare quam Epistolam. E collatione C. I. sequentia differre comperi. Ed. *transeuntes res neglecta negligunt. Cod. transeunter lecta. Ed. e contra se erigunt. Cod. se contra se erigunt. Ed. ut jam in fletibus compungantur. Cod. ut etiam in fletibus. Ed. sed misericordiae opera exaltant. Cod. sed per misericordiae opera exaltat. Ed. Omnes qui diligunt munera. Cod. Omnes diligunt munera. Ed. nec ab humano corde inanem gloriam. Cod. gratiam. Ed. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. appellatione autem capitis &c. Cod. caput meum. Principale etenim nostrum caput est. appellatione capitis &c.* Haec speciminis ergo. Quae qui pensitaverit, pro Codice pronuntiabit. Aliud *Epistolae* hujus Exemplum occurrit *Cod. praeced.*

II. fol. 45. sequitur *Exhortatio Sancti Augustini ad quendam*

*Comitem.* Initium: *Frater si cupias scire: quamvis ego nesciam &c.* Vide, quae de subpositio hoc Opusculo jam alibi dicta sunt.

III. fol. 65. p. 2. Opusculum *Beda de Muliere forti*, cui nihil inscriptum praeter *Beda*. Incipit: *Mulierem fortem qui inueniet. Procul et de ultimis finibus precium eius. Mulier fortis ecclesia catholica uocatur &c.* Atque in hac comparatione infumitur tota Tractatio, quae legitur *Opp.* edit. *Colon.* 1688. T. VII. p. 459. nihil abludens a *Codice.*

IV. fol. 72. alia manu non tam concinna et fortasse paullum recentiore *Vita. Mores et Gesta beati Seruatij episcopi.* Est is *Servatius Tungrorum Praeful*, qui vitae sanctorum clarus *Trajecti* anno 384. ad dominum migravit, cujus *Acta* ab *Harigero Abb. Lobienfi* scripta cum additionibus *Aegidii Aureae Vallis Monach. Cist.* habes in *Job. Chapeavilli Gestis Pontiff. Tungrens. Trajectens. et Leodiens. Leodii* 1612. T. I. p. 28. 4. et *anglo-regis* apud *Bollandianos* T. III. *Maji* ad d. 13. p. 209. ubi c. III. p. 215. conjicio, Autorem eorum *Actorum*, quae prae oculis habemus, esse *Jucundum Presbyterum* quendam, qui primus omnium *Servatii* vitam ante an. 1088. congeffit, ea tamen credulitate, ut nullam in multis fidem mereatur. Atqui *Acta* nostra ita comparata esse, *Codice* docet inspectio. Quid quod *Miraculum de Milite Brabanto a mor-*

2297

## A S C E T I C I.

2298

morte resuscitato, quod illi C. VIII. p. 225. recitant e *Jucundo*, totidem verbis *Legendam* nostram terminat. Constat illa *Praefatione*, cujus initium: *Illustriissimi uiri uitam Seruatii stemate inchyto nati meritis super ethera exaltati &c.* prout citatur etiam in *Hist. Lit. Franc.* T. VIII. p. 342. Diuisa est in *Libros* II. praemisso cuius *Capitum* Indice. Prior constans *Capp.* XXX. *Servatii* vitam percenset, orditurque: *Floruit enim Caput Metropolis francorum tungris &c.* Alter *Capp.* XXXVIII. et ipse *Praeloquio* instructus est hujus tenoris: *Translato ad Superos Servatio opera postuma enarrari postulat ordo &c.* et maximam partem in *Miraculis* recensendis occupatur. C. I. incipit: *Post renouati denique dominica passione seculi lūstra ferme LXX. &c.* Ultima de *Milite* supra dicto sunt: *ad congregationes sanctorum tripudianter abibat.* *Catalogus Libb. Ducis Vallerii* P. III. p. 96. *Libellum* in 4. indicat hac clausu-

la: *Explicit sanctissimi seruacij tungrensis ecclesie presulis et consanguinei Christi legenda de nouo stilo claro ac eleganti compilata Colonieque Impressa per me Arnoldum ther boyrnen finita Anno domini M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. LXXII<sup>o</sup> die Mercurij quarta mensis Marcij.* Idem *Libellus* extare dicitur in *Bibl. Reip. Basileensis*. Suspicio eundem esse cum *Nostro*, dictione fortassis aliquantum immutata, ut postmodum in quibusdam SS. Aetis fecit *Surius*.

## DCXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 185 XVI. Folior. 228. f. nitide scriptus hunc praefert titulum: *Ad Serenissimum et Christianae Religionis studiosissimum Principem et Dominum D. Rudolphum Rom. Hungariae, Bobemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Regem &c. De ueri in Ecclesia Dei Regis officio ac Potestate Paræneticon.* Fol. verso sequitur *Ad Eundem Carmen Asclepiadeum*:

*Rudolphe Imperii Romulidum Vnica  
Spei et Christicolūm praesidium et decus:  
In te cum celebris luceat Indoles,  
Totque Europa malis fracta miserrimis  
Et polluta suo sanguine plurimo  
A te quæ fuerint Principis optimi  
Speret: cum lacrimis Vlnera et indicet,  
Hac ad te uolui scribere pauca &c.*

Succedit ad *Eundem* Praefatio. — *Ego quoque Christianissimi et Clementissimi illius Aui Tui, Ferdinandi Imperatoris beneficentia in*

*Austriensi Academia (Viennae) et in Hungaria (Praepositura S. Thomae ad Strigonium) ornatus aliquod tibi ad afflictæ Pannoniæ, Bobe-*

Z z z 2